# ORATIO

## DE SICULO INVENTIONIS GENIO

SIVE

DE CLARIS SICULIS SCIENTIARUM INVENTORIBUS

HABITA IN CATINENSI LYCEO

A SAC. JURIS, LEGUMQUE PERITO

JOSEPH ALESSI

HENNENSI

SACRARUM LEGUM, ET SACRAE

POLITIAE PRAECEPTORE

DECIMO QUINTO CALENDAS DECEMBRIS

ANNI MDCCCXVI.




CATANAE

EX TYPIS UNIVERSITATIS STUDIORUM

1816.

*ILLUSTRISSIMO VIRO*

# *GABRIELI GRAVINA*

*PONTIFICI CATINENSI, EJUSQUE LYCEI, TOTIUS SICILIAE, INSULARUMQUE ADJACENTIUM MAXIMO CANCELLARIO EQUITI TORQUATO, S. R. O. CONSTANTINIANI MAGNO PRIORI, A CONSILIIS S. R. M., EX PRINCIPIBUS MONTIS VAGI, DUCIBUS S. MICHAELIS, MAXIMIS OPTIMATIBUS HYSP. etc. etc.*

*Orationem, quae te praesente haberi debebat, quaeque, te absente, magnis Panormi curis distento, a me in Catinensi Gymnasio recitata est, et benigne ab omnibus excepta, tibi mitto, propriamque dico. Simul enim cum Catinensi Pontificatu Supremi Cancellarii mu-*

*nus suscepisti, et hoc primum exiguum opus sub tuis auspiciis prodit, tui juris est, tibique debetur. Postmodum summi Praeceptores, sapientissimique Viri, qui hanc Academiam, hanc Urbem totamque Siciliam exornant, libros edent, tibi dicandos, linendos cedro, quique Maria transibunt sed primus hic honos mihi a fortuna servatus; quare hunc primum qualemcumque Libellum excipe. Hoc Lyceum, haec Urbs, hoc Templum, hi Cives, totaque tua Provincia te vocant. Tuo adventu plurima quae pro temporum vicissitudine, atque fortuna fere jam ceciderunt, renascentur, et omnia, optimorum Civium consensu, fovenda Sacrae Disciplinae revocandae: Juris Legumque Candidatis occurrendum: praemia, et munia virtuti, sapientiaeque tribuenda: Gymnasium, Praeceptoresque praesidio tegendi: Artium, Scientiarumque Collegia tutanda; et omnia severissimis legibus sunt vincienda. Si Urbem enim intueris, exempla sapientissimorum Hominum*

*praebet, qui optimis artibus, scientiisque faverunt. Si hoc Templum cernis, Pontifices de Litterarum Republica, et de Virtute benemeritos exhibet. Si domestica facta commemoras, Heroes laurea, lingua, et armis clari occurrunt. Si Orationem hanc inspicis, omnium fere Scientiarum Inventores tibi Sicilia offert. His omnibus praesta, tuumque nomen Sapientissimis Siculis Maecenatibus adde: Orationem, Oratoremque benigno animo excipe. Bonis, Litterisque favendo immortalis esto. Vale.*

*Obsequentissimus*

JOSEPH ALESSI

**************************************************

# ORATIO
## DE SICULO INVENTIONIS GENIO

Ipsamet Eloquentia in hoc vetustissimo Orbis Terrarum Gymnasio, coram supremo Procancellario, selectisque Praesidibus, apud eruditissimos Praeceptores, tanto Civium Advenarumque conventu, hoc die, quo litterarum studia inchoantur, quo Magistri, atque Discipuli optimarum disciplinarum rationem suscipiunt, quo hoc Sapientiae Templum Civibus, Accolisque panditur, loqui deberet. Tot enim sapientissimi viri graeca, latina, variisque linguis loquentes hic verba fecerunt, et adsunt; toties de Philosophia, de Officiis, de Humanitatis studiis, de Juris, Legumque laudibus, de rerum humanarum, divinarumque Scientia, vinculo, et conjunctione orationem habuerunt; ut non solum mihi, qui neque ingenio, neque auctoritate, neque exercitatione dicendi cum illis veteribus clarissimis viris, et cum his Litteratissimis qui sedent

sim comparandus; verum etiam cuilibet summo, eloquentissimoque Oratori verba forsitan deficere possent. Quoniam vero non solum in hoc selectissimorum Magistrorum Collegio, me ad Sacras Leges edocendas cooptastis; non solum Juris Legumque laurea donastis; verum etiam ut ante jucundissimum, frequentissimumque vestrum conspectum, ad litterarum gloriam excitandam, concionem habere vos Praesides mandastis; vestram quidem benevolentiam, auctoritatemque minime negligendam existimo, praesertim cum vestro judicio tam amplissimam laudem sim adeptus: et quid quid ingenio, industria, exigua dicendi exercitatione consequi possum, vobis potissimum ostendam oportet, qui tantum honorem mihi tribuendum esse censuistis; quique fructum a me repetere quodammodo proprio jure debetis. Atque ut inde Oratio proficiscatur, unde exorsa est; ut, scilicet, optimarum Disciplinarum, Scientiarumque studium, quod aggredimur, ardor in omnium animis excitetur, principem rationem ex domesticis exemplis deducere libet; ut inde virtutis, gloriae, sapientiaeque emulatio oriatur. Non omnia tamen sapientissimorum Siculorum exempla

proferre licet, ut modus in dicendi copia quaeratur, sed praecipua, quae nonnullas Artes, Scientias, Disciplinas hic inventas, et alibi delatas exhibent, quaeque maximam vim ad nostros animos excitandos, inflammandosque habere debent; et, ut omnia uno verbo complectar, DE SICULO INVENTIONIS GENIO, dicendum est.

Hanc rerum Naturam contemplanti illud menti mihi occurrit, Artes, Scientias, Disciplinasque omnes non solum societate quadam inter se teneri, ut nonnullis placuit; verum etiam omnes in unam Scientiam coalescere (1). Aut enim Natura humanis usibus adhibetur; aut variis, diversisque modis imitamur; aut observatur, inspicitur, perscrutatur; aut causae, effectus, distantiae, motus, quantitates, temporum series, inquiruntur, et explicantur; aut quae latent, ab iis, quae cernuntur, explanantur; vel ad Numen Creatorem ascendimus, vel ad Hominem investigatorem, ejusque mores, officia, leges, descendimus; et hinc Artificia, Optimae Artes, Physica, Dialectica, Philosophia, Mathematica, Ethica,

(1) *Cic.* Pro Archia. *Bacho Verulam. Alambert* Orat. Encyclop.

Politica, et omnis divinarum, humanarumque rerum Sapientia gignitur: quae una est equidem, ut sapientissimi Graeci viderunt (1), sicuti una est rerum omnium Natura, unde Scientiarum omnium Genius emanat. Varia tamen pro Regionum varietate est ipsamet Natura. Caeli, Hominumque temperies; plantarum, Animantium, terrarum, metallorumque varietas; Fontium, Fluminum, Maris, Portuum, caeterarumque rerum indoles, non parum ad Scientiarum originem, progressumque conducunt: cui quoque rei Imperii genus, pax, quandoque bellum, exterarum Gentium, Mercatorum, sapientiorumque Hominum commercium, honores, praemia, Religio, et omnia virtutis, et gloriae incitamenta conferunt; et hinc pro Gentium diversitate diversas Scientiae partes natas, perfectasque variis locis, vel omnino ignotas esse comperimus. Haec Insula, vero, omnia a Natura sortita est, unde doctissimarum Nationum gloriam aequare, vel praecedere possit. A torrida, atque a rigenti zona aeque distat; ibi ingenii acumen, aeris tepor, soli fertili-

(1) *Plato praecipue in* Timaeo. *Cic.* De Orat.

tas, frugum, arborum, Belluarum, Piscium, Fossilium, Fontium, Fluminum Portuumque copia, Tyrrhenum, Libycum, Joniumque mare, quo abluitur, et unde omnes fere doctae Gentes illic commercia agebant, et nunc etiam commeare possunt; haec, et alia ad Sapientiae fastigium Siciliam perducere valent; si Hominum adjumenta minime deerūt. Ubi enim Homines Scientiis, hisce nostris Regionibus, operam navarunt, ubi locorum naturam Artibus, Disciplinisque omnibus adhibuerunt, Genio quodam Inventionis Sicilia, prae caeteris Nationibus, gloriabatur. Omnes enim aetates, et Scriptores animo complectens, et ab Historia, quae omnium Disciplinarum est magistra (1), inde huc longissimi temporis memoriam repetens, originem plurimarum Artium, et Scientiarum Siciliae, omnium rerum feraci, deberi comperio.

Vetustissimus Poeta pingue Siciliae solum irrigua, et mollia prata, opportunos Portus, Silvas, perennes vites, Capras silvestres ibi nascentes, procerrimos Homines Gregem agentes, triticum,

(1) *Cicero* De Oratore.

et hordeum sine semente, et aratione gigni describit (1). Nec tantum Homerus, sed Aristoteles, Diodorus, aliique Scriptores primum triticum hisce locis apparuisse, et reperiri adfirmant; licet dissimile illi, quo Accolae, caeteraeque Gentes utuntur, ut sapientissime Aristoteles observavavit; et hinc jure merito Agricultura illuc originem habere, et ars Pastoritia eo exerceri debebat, ubi haec omnia sine arte proveniebant (2). Inde plura de Cerere, Proserpina, Plutone, et Bacco in Sicilia veteres enarrarunt; quae non sunt omnino respuenda. Sive enim Cererem extitisse, et inter herbas crescens[?] triticum invenisse (vel ex mutua frumentorum silvestrium faecundatione, vel ex aliis Regionibus, ut arbitror, vento, vel alio casu delatum) cum Diodoro affirmes: vel fabulis repudiatis, per Cererem Terras, per Proserpinam frugum semen sulcis absconditum, et a Matre quaesitum, per Plutonem vim terrenam, quia omnia oriuntur, et decidunt in terris, per

(1) *Hom.* Odiss. *lib. IX. vers.* 126. *et seq.*
(2) *Aristot.* De Admirandis auditionibus *n.*° 80. *Diod. Sic. lib. V. cap.* 1. 2. 15. *Cic.* In Verr. *act. V. et VI.*

Liberum vinum ipsum ex graecis vocabulis cum Tullio intelligas; vetus est haec opinio, quae constat ex antiquissimis Graecorum litteris, atque monumentis, fruges in hac Insula primum inventas, et Hennae repertas fuisse, et ex his locis ad Athenienses, Ægyptios, Italos, caeterasque Gentes, Nationesque esse delatas: quod cum caeterae Gentes arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum, atque innatum esse videatur (1). Proindeque Aratrum, caeteraque rustica instrumenta, frumenta molere, et conficere docuit Sicilia; quod non solum Poetae, Historici, et Inscriptiones, verum etiam Leontina, Centuripina, et praecipue Hennensia Numismata, Aratri veterem figuram, originemque Siculae Agriculturae exhibentia, omnibus ostendunt: et qui accessistis Hennam rudes Mulieres saxis adhuc frumenta friare vidistis; qui mos vetustior quam molarum Regiae Alcinoi, et Ulyssis, ubi Mulieres flavum triticum molebant, mihi videtur (2).

(1) *Cic.* De Natura Deorum *lib. II.* *Arist.*, *Diod.*, *Cic. loc. cit.*, *Plin. l. VII.*

(2) *Virg.* Georg. *lib. I.* *Ovid.* Met. *lib. V.* Fast. *lib. IV.* *Callimac. Diod. Cic. Plin. lib. VI. Marm.*

Nec tantum fruges in Orbem Terrarum distributas, verum etiam cum Agricultura initia vitae, atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla Hominibus, et Civitatibus data, ac dispertita esse Tullius, aliique Scriptores testantur (1). Urbes enim, Leges, Artes, caeteraque vitae commoda, omnesque virtutes ab Agricultura manare Veteres existimabant (2). Quod si Agriculturae, et Legum Sicilia est Inventrix, quae Gens, quae Natio, quis Populus ejus gloriam aequare potest, quae eas Artes, et Scientias invenit, unde caeterae omnes Disciplinae originem ducunt? Quod si quis haec, ut nimis vetera, respuere audeat, Siciliae Legislatores minime deerunt, qui sapientissimas, novasque leges Populis tradiderunt. Teque primum Charondas hujus Urbis, et Civem, et Legislatorem, hujusque Lycei decus, et Inventorem proferam, qui, Diodoro teste, legem, quam alii Legum latores preterierant, tulisti, ut publice Cives litteris imbuantur,

*Arundel.* Epoc. *XII*. *Princ. Castelli* Sic. Vet. Nummi *Tab. XXVIII. etc. fol. Pan.* 1781. *Hom.* Odiss. *lib. VII. v.* 104. *lib. XX. v.* 105.

(1) *Cic.* In Verr. *act. VI.*

(2) *Xenoph.* Œconom.

Praeceptoribusque necessaria stipendia de communi aerario solverentur, ne quis Civium animi cultura destitueretur; cujus sapientissimas leges Thurii, quam plurimae Siculae, et Magnae Graeciae civitates exceperunt (1). Nec te silebo, Diocles, Syracusanorum Legislatorem, qui forsan primus latas leges proprio sanguine obsignasti (2). Nec Empedoclem praeteream qui constituta Agrigentinorum Republica imperio se abdicavit (3). Nullo modo vero tacitus Dicaearcum Mamertinum praeterire possum, qui Geographiam, Musicen, Philosophiam, Historiam, Poesim, totamque Scientiam amplexatus est, scriptisque tradidit; quemque Tullius magnum, mirabilemque Virum appellat (4); qui de Republica, officiisque Civium, et Magistratuum ita scripsit, ut ejus Libri de Republica Lacedaemonum, quotannis, coram Ephoris, Laconiis Juvenibus, legerentur; quod nemini ob-

(1) *Diod. lib. XII. Arist.* Polit. *lib. II. Brucher. vol. I. Heraclid. Pontic. Bentley. Wesseling. Heine* Opusc. Acad. *vol. II. Prolus. IX.*
(2) *Diod. lib. XIII.*
(3) *Diog. Laert.* Vita Empedocl.
(4) *Cic.* Ad Att. *lib. II. ep. II. V. Plin. II.* De Hist. Mundi.

venisse comperio (1). Nec immerito ibi Plato suam constituere Rempublicam postea optabat, ubi tot sapientissimi Legum latores extiterant, ubi tanta animi cultura, commercio Egypti, Graeciae, Italiae, Asiae, Phaeniciae, Carthaginis, aliorumque Populorum, viguerat (2).

Nunc equidem minime miror Siciliam optimis constitutam Legibus, atque Artibus omnes Disciplinas vel invenisse, vel coluisse; summos Philosophos in praetio habuisse; Pythagoramque Siciliae studiosis carum, acceptum que fuisse. Omissis enim Siculis Mulieribus Pythagoricis (3), Icetas Syracusius, ejus Sectator, Terram moveri primum censuit: Coelum, Solem, supera denique omnia stare censet, ut Tullius enarrat, neque praeter Terram, rem ullam in Mundo moveri, quae cum circum axem se summa celeritate convertat, et torqueat; eadem efficit omnia, quasi, stante Terra, Caelum

(1) *Suidas. Dodwell.* De Dicearco *edit. vol. II. Geograph. Graece edit. Oxon. Bruch.* Hist. Crit. Phil. *vol. I. Fabric.* Bibl. Graec. *vol. I.*

(2) *Plut.* Vit. Plat., Dionis, Dionisii. *Dionis* Ep. *Diod. Sic. Cluv.* Sic. Antiq. *etc.*

(3) *Bruch.* Histor. Crit. Phil. *vol. I, Mongit.* Bibl. Sic.

moveretur (1). Megarensis Epicharmus, qui Philosophiae Pythagoricae incumbuit, plurimum Platoni contulit, cujus et plurima transcripsit, ut Alcimus in eis libris, quos ad Amyntam scripsit, quatuor numero meminit; quod Diogenes Laertius scriptum reliquit (2). Laudandus quoque Agrigentinus Empedocles, qui ante recentiores Philosophos Terram, Sideraque omnia gravitate quadam, certoque pondere circumferri existimavit: quo viro nihil praeclarius Siciliam habuisse Lucretius censet: » Nec sanctum magis, et mirum, » Carmina quin etiam divini pectoris ejus — Vo» ciferantur, et exponunt praeclara reperta — Ut » vix humana videatur stirpe creatus (3). » Inter ejus praeclara inventa nonnulla ad Medicinam pertinent, et praecipue inventa similitudo Ovorum Animantium, plantarumque germinum; nam et ipse egregius Medicus celebris tota Graecia fuit; et multi quoque Siculi Medici inter Principes refe-

(1) *Cic.* Academic. Quaest. *lib. IV.*
(2) *Diog. Laert.* Vit. Plat.
(3) *Lucret.* De Rer. Nat. *lib. I. vers.717. Bonamy* Dissert. *vol. X.* Mem. Acad. des Inscript. *Freret* Dissert, *vol. XVIII. Diog. Laert.* Vita Emped.

runtur. Leontinus Erodicus, quem nonnulli Hippocratis Magistrum existimant (1), procul dubio Auctor Gymnasticae fuit; cujus praeclarum inventum Plato laudat (2). Agrigentinus Acron Empiricorum Praeceptor fuit, quippe qui experimentis in cognoscendis, curandisque morbis ducebatur; quemque Plinius, Plutarchus, Galenusque collaudant, et Athenienses ad pestem arcendam Athenas arcesserunt (3); et ego Hennensem Philonem, Philonidem, Philistionem, Epicharmum, Archimedem, nonnullosque alios omitto, ut ad Mathematicos properem (4).

Incertum an Euclides Siculus fuerit. Certum tamen, compertumque est Siciliam Archimedem divini ingenii tulisse (5), Mathematicarum Genium,

(1) *Le Clerch*. Hist. Medicinae *pag.* 229. *edit. Genev. Burigny* Hist. Sic. *vol. I.*

(2) Plato *in Phaedro*.

(3) *Plin.* Hist. Nat. *lib.* XXIX. *Plut.* De Iside, et Osiride. *Galeni* Op. *vol. I. cap. I. Suidas* voce Acron.

(4) *Diosc.* De Veretr. Alb. *Plin.* Hist. Natur. *lib.* 20. 21. 23. 24. 26. 29. *Laert.* Vit. Phil. *l. VIII. Mong.* Bibl. Sic. *etc.*

(5) *Voss.* De Art. et Scient. Nat. *cap. XVI.* Hist. Acad. Scien. *Ann.* 1709. *Leibnit.* Epist. Huctio a Duteus allata *vol. II.*

a quo plurima inventa; et cujus pauca, quae extant, fere omnium veterum, recentiorumque gloriam exuperant. Quis enim proportionem Circuli ad Cylindrum, ejusdem mensuram; Conoides, Sphaeroidesque observavit; Parabolae quadrationem, et Algebrae principia adhibuit? Archimedes (1). Quis primum de Aequiponderantibus; de iis, quae vehuntur; et de insidentibus in Fluido scripsit; argentique mixturam aureae Regis Hieronis coronae detexit? Archimedes. Quis Cochleam spiralem, ut arva irrigarentur, aquarumque Nili profluxus exhauriretur; Cochleam ad exiccandam sentinam; Corvos Ferreos ad detinendas, rumpendasque Hostium Naves excogitavit? Archimedes (2). Quis Navem ingentem incredibilem, cujus non Mortalis Inventor, sed Gigantes exposuere in Superos Deos, ut Archimelus cecinit (cujus Malum a Philea Tauromitano mechanico in Mare a Britannia deductum) nova arte construxit, et in Mare detrusit? Archimedes (3). Quis coele-

(1) *Montucla* Hist. de la Quadrat. du Cercle. *Dutens vol. II.*
(2) *Diod. Sic. lib. I. et V. Ath.* Dipn. *l. V. c.*8.
(3) *Ath. loc. cit.*

stem Sphaeram invenit? Archimedes. In qua ne eosdem quidem coelestes motus, sine divino ingenio, Archimedes imitari potuisset, observante Tullio, qui ejus Sepulcrum, Syracusis obsoletum, hoc Spherae signo, maximo gaudio invenit (1). Quis Romanorum Classem ingentibus saxis rupit, Corvis Scopulis illidit, detinuit, in aera rapuit, in Mare demersit; Exercitum a muris arcuit, in fugam, terroremque egit? Quis Naves ipsas Speculis ustoriis forsan incendit? Archimedes... Sed potius dies, quam oratio de Archimedis inventis deesse poterit, quae vel a Scriptoribus narrantur, vel in libris, qui supersunt, leguntur, vel desiderantur; quique prima fundamenta jecit Inventionum fere omnium, de quibus promovendis nostra aetas gloriatur (2).

(1) *Tusc. Quaest. lib. I. et V.*

(2) *Polyb.* Excerpt. *lib. VIII. Liv. Dec. III. lib. IV. Plut.* In Marc. *Hi de Navium incendio haud loquntur; sed lege Gal.* De Temp. *lib. III. cap. II. Lucianum* in Hippia. *Zonaram* Annal. *vol. II. Eustat.* In Homer. *apud Fabric.* Bibl. Graec. *vol. II. Tzetem* Chil. Hist. *qui Dionem, Diodorum, Heronem, Pappum, Anthemium, Philonem, ac omnes Mechanographos laudat. Buffon. Dutens vol. II. Qui etiam Ep. edidit,*

Sed quoniam in bellicam, nauticamque gloriam incidimus, haud omittendum Triremium, Quinqueremiumque inventum veteri Dionysio deberi, qui ingentem Classem instruxerat, et Syracusas Artifices ab omnibus Regionibus evocaverat, ubi novae prorsus machinae, et arma in Carthaginenses constructae; et praecipue Catapultae, quae ingentia saxa projciebant, veluti rupes a montibus avulsas, quae ruentes cuncta frangerent, Exercitusque exterminarent, quibus militaris virtus extincta videretur (1)... Sed ne obstrepi clamore Militum Lyceum videatur, nova prorsus, melioraque exempla Victoriae Militaris nobis in Gelone Sicilia praebet, qui restitutis Exulibus Syracusanis, devictis Carthaginensibus pacem iis conditionibus iniit, ne amplius Poeni, Hospites execrandis Numinibus immolarent (2). Defectio Lunae Terrae interjectu, licet Niciam, Demosthenem.

*ubi attulit Anthemium Trallianum Script. Seculi V.* Giorn. Encyclop. 15. *Aug.*1771. *Wallis apud Montucl.* Hist. Math. *vol.* 1. *cujus sunt haec prostrema verba.*

(1) *Corn. Nep.* In Dione. *Diod.Sic. lib.XIV. Aelian.* Var. Hist. *VI. cap. XII. Plutarc.*

(2) *Diod. Sic.*

Classiarios, Exercitumque Atheniensium terruisset, minime Syracusanorum Phalanges, Ducesque terruit; quare devictis postea Atheniensibus, et septem Captivorum millibus in Latomias detrusis, senex Nicolaus, Filiis bello orbatus, ita verba fecit, ut omnium animos ad misericordiam induceret, ut Captivis libertatem restituerent, ostendens, Siculos tanto superiores clementia esse debere, quanto virtute, et armis fuere; et ni Lacon Cydippus contra assurgeret, omnes incolumes Athenas rediissent (1). Haec et alia mansuetudinis, virtutisque exempla in Bellis a Siculis adversus Punicos, Tyrannos, Romanosque gestis, adferre possem... sed ad Disciplinas, et Scientias, unde aberravimus, redeamus.

Bucolica gracilesque Avenas Siculos invenisse eruditissimis Viris compertum (2). Sive enim cum Diodoro Daphnidem (3); sive cum aliis Scriptoribus Stesichorum Himerensem Auctorem facies (4); procul dubio Sicilia nobis vetustiora carmina Bu-

(1) *Plut.* In Nic. *Diod. lib. XIII.*
(2) *Quadr.* St. e Rag. d'ogni Poesia *vol. II.*
(3) *Diod. lib. IV.*
(4) *Aelian.* Var. *lib. X. cap.* 18.

colica praebet (1). Nec Sicelides Musae solum Silvas cecinere, sed Theocritus, et Moscus eo devenere, ut exemplum Virgilio caeterisque Scriptoribus praeberent; quorum alterum admirabilem virum Quintilianus appellat; nec ulla unquam aetas est finem eorum laudibus allatura (2). Ibi vero vitae Rusticae, et Piscatoriae laudes, Pastorum, Piscatorumque cantus oriri oportebat, ubi silvestres Caprae, ubi Vites, Arbores, frumentaque silvestria nascuntur; ubi Tynni, caeterique Pisces Fluviis, Fontibus, et Mare abundant; ubi Olpim Tynnos capientem Theocritus inducit; ubi Myrtus silvester nascitur, cujus foliis Venus Adonidis corpus, Theocriti ore, spargebat (3); ubi Hiero legibus, scriptis, et exemplis rem agrariam promovebat (4); Rex Pollius vina perficiebat (5),

(1) *Suid.* Lex. *Verb. Stesichoros*.
(2) *Quint.* Instit. Orat. *lib. x. cap. 1.*
(3) *Vide Theocr. Opera. Archestratus apud* Athen. Dipn. *lib. VII. cap.* 19. *Ibid. lib. 1. Plin. lib. IX. cap.* 15. *Polyb. et Strabo de Sicula Piscatione Delphini loquuntur. Sil. Ital. Solin. Rodelentius. Aldrovand. Franciscus Maurolicus* De Piscibus Sic. *Mongit.* Bibl. Sic. *vol. 1.*
(4) *Plin. lib.* 18. *Cic.* In Verrem.
(5) *Athen. lib. 1.*

ubi Eugenia, Murgentia, Mamertina, Potulana, Halyntia, Amminea vina celebrabantur (1); ubi summi Viri terram arabant, Italiae Horreum extabat, fertilitas Arvorum arte perfecta centuplicem fructum reddebat, quod Graecis, Latinisque admirationi erat (2). Ubi enim per summum otium, et pacem vitam agere in fertilissimis Regionibus licet, ubi Reges, Magistratus, Leges felicitati Populorum conducunt, ibi nasci, et perfici quamplurimas Artes, et Scientias oportet.

Verum, ut ad Stesichorum revertar, praeter Bucolica, Lyricam quoque, Stropham, Antistropham, et Epodon excogitavit, quae *Tria Stesichori* dicebantur, plurimaque scripsit; quapropter Himerae Statuam pulcherrimi operis, et Catanae Sepulcrum octo columnis ornatum, paribusque gradibus cinctum Cives statuere; summisque laudibus Cicero, Horatius, Quintilianus, Dionysiusque Halicarnasseus, et hic prae Simonide, et Pindaro extollit. Ait enim Stesichorum in utriusque virtutibus floruisse, quin etiam iis, quibus illi carent,

(1) *Plin. lib. XIV. cap.* 2. 4. 6. 15. *Galen.* Simplic. *lib. IV.*
(2) *Thucyd. Tullius* In Verrem.

praeditum, rerum inquam amplitudine, in quibus morum, et dignitatis personarum rationem habuit, fuisse (1).

Sicelides Musae praeter Silvas, Heroumque laudes majora cecinerunt. Empedocles Astronomica, et Rerum Naturam carminibus exposuit. Forsitan Aurea Pithagorae carmina, quibus jura dantur, et vitae monstratur via, ab ipso conscripta; et ni ejus Soror *Persica* cremasset, suum Homerum in Empedocle Sicilia haberet (2).

Sed non parum laudis Siculis accessit ex Comoediae inventione, quae Epicharmo Megarensi, quem Theocritus virum Comoediam invenientem, et Plato summum in Comoedia appellat, debetur: nec Aristoteles, nec Solinus Comoediae inventum Siculis denegant (3). Cujus hic meminisse sat est, omissis alio Epicharmo Philosopho, quem Plau-

(1) *Suidas* Lex *ad V.* Tria Stesichori, et octo. *Cic. lib. II.* In Verr. *Hor. lib. IV. Od.* 9. *Quintilianus lib.* x. *cap.* 10. *Dion. Halic.* De Prisc. Script. Cens. *cap. II.*

(2) *Diog. Laert. in* Vita Emped. *Fabr.* Bibl. *vol. I.*

(3) *Aristot.* Poet. *cap. V. Theocr. Epigr. XVII. Plato in* Theaeteto. *Solin. Polyhist. cap. XI.*

tus imitatus est, Dinolocho ejus filio, duobus Philemonibus, Apollodoro, Carcino, Sophrone, Empedocle, Sosicle, Acheo, aliisque Siculis, tam Comoedia, quam Tragoedia claris; nam hic praecipue de Inventoribus, minime vero de Siculis Scriptoribus nobis sermo est (1). Nec Siculis Mimi defuere, quos Scenis Sophrones adjunxit (2); et omnia vertere seria ludo, Satyrosque dicaces Syracusius Rintho commendare coepit (3). Et ne quid Siculo Theatro deesset, Andro Catinensis Tibicen motiones, et rythmos, dum tibia caneret, primus effecit; unde *Sikelizare* pro saltare apud Antiquos invenitur; et exinde Choreae, Theatris, Ludis, Sacris, optimisque disciplinis accessere (4): Quae Civium indoli, locorum amoenitati, politiae, ubertati, genioque Siculo conveniebant.

Nimium mihi diu videor in uno genere optimarum Disciplinarum versari, et sentio aurium, animorumque vestrorum satietati occurrendum,

(1) *Fabr.* Bibl. *vol. 1.*
(2) *Solin. loc. cit.*
(3) *Fabric.* Bibl. Graec. *vol. 1.*
(4) *Theophr. et Epicharm. apud Athen.* Dipn. *lib. 1. cap. 18. et lib. VIII. cap. 12.*

quamobrem multa praetermittam: ad ea autem quae dicturus sum, reficite vos quaeso, dum ea commemoro, quibus tota nostra Gens elata est; et si pauló altius repetere memoriam videbor, ignoscite; rei magnitudo nostram perstringere gloriam non sinit. De Eloquentia etenim dicendum, cujus inventio Siculis debetur. A Corace, nescio quó, et Tisia, quos illius Artis Inventores, et Principes fuisse constat, Tullius inventam aiebat(1). Itaque, ait Aristoteles, quum, sublatis in Sicilia Tyrannis, res privatae longo intervallo judiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa Gens, et controversa natura, artem, et praecepta Siculos Coracem, et Tisiam conscripsisse (2). Quibus verbis, optime, Siculorum indoli, paci, Judiciis publicis, et Reipublicae Siculorum Eloquentiae inventionem convenire ostendit. Proindeque ipsamet Theatra, quae Ludis scenicis, Comitiis, Concionibusque quoque inserviebant. Cydippus, et Nicolaus, de Captivis Atheniensibus decernentes coram Populo, in maximo Syracusanorum Thea-

(1) *Cic.* De Orat. *lib.* II.
(2) *Cic.* De Claris Orat.

tro locuti sunt. Ibi Tullius Graecis Siculis graeca verba fecit (1). Eunus concitatos Servos in Hennensi Theatro allocutus est: ibi disertissimus Damophilus verba fecit, Servosque demulcebat (2); Luciusque Pinarius ibi convocatos Cives, allocuturus, secundo Punico bello trucidavit (3). Haec Urbs, Tauromininium, Agyrium, aliaeque Siculae Civitates Theatra Spectaculis, et Concionibus habebant (4). Et ut ad Oratores revertar, Tisias Gorgiae socius, et comes in legatione ad Athenienses fuit, omnesque ejus aetatis Oratores dicendi facultate superavit, subtilem, ingeniosamque Orationem pro Muliere Syracusana dixit, enarrante Pausania (5): praeceptor Isocratis fuit, Lysiamque Discipulum habuit (6). Lysias Athenas venit; illic civilibus Undis mersus, indeque emersus Artem dicendi omnium plausu professus est; adeo ut Tullius doctissimum, eloquentissimum, subtilem, elegantem, et prope perfectum Orato-

(1) *Diod. lib. XIII. Cic.* In Verr. *Act. IV.*
(2) *Diod. lib.* 34.
(3) *Tit. Liv. lib.* 24.
(4) *Diod. Sic. var. locis.*
(5) *Paus.* Descript. Graec. *lib. VI. cap.* 18.
(6) *Dionys. Halicarn.* Jud. De Isocrate.

rem dixerit (1). Dionysius vero Halicarnasseus, et Isocrati, ipsoque Demostheni nonnumquam anteponit, omnesque Oratorum virtutes complecti affirmat; ni remissior, humilisque nimis in animi motibus concitandis esset (2). Leontinus vero Gorgias Siculam eloquentiam perfecit, docuitque Athenis, ubi Rethores omnes vicit: Athenienses in admirationem, stuporemque, novo dicendi genere, rapuit: ex tempore ad omnes quaestiones facunde respondebat: Critias, Alcibiades, Thucydides, Periclesque ex ejus ore pendebant: Isocratis Praeceptor fuit; imitatoremque Demosthenem vi, et ubertate dicendi habuit (3). Leontini Numismata in ejus honorem cudere (4); cui tantus honor habitus est a Graecia; soli ut ex omnibus, Delphis non inaurata Statua, sed aurea

(1) *Cic.* De Orat. *lib. III. et* De Claris Orat.
(2) *Phot.* Bibl. *n.* 262. *Fabric.* Bibl. Graec. *vol. I. Vid. Lisiae Orat. quae extant.*
(3) *Diod. lib. XII. Philostr.* De Vitis Sophistar. *lib. I. Paus.* Graec. Descript. *lib. VI. cap.* 18. *Dionys. Halicarn.* Jud. de Isocr. De adm. vi dicendi in Demosth.
(4) Mus. Brit. *vol. II.*

statueretur (1). Quamquam Plato, Philostratus, Diodorus, aliique Graeci, Latinique Scriptores nonnullis ejus eloquentiae maculis offendantur, plurima tamen in ejus Orationibus nitent; et ut paucis omnia complectar, Corax, Tisias, Lysias, atque Gorgias non solum invenere, sed inventam Eloquentiam ad summam virtutem perduxere, Graecosque Praeceptores docuere. Restitutis inde in Sicilia Tyrannis, ad liberos Athenienses Eloquentia demigravit, et adventu Dionis, Platonis, et praecipue Timoleontis tandem has oras revisit. Sed ipsi Tyranni ab optimis Disciplinis non omnino abhorruerunt. Verum de his postmodum. Nunc ab Oratoribus ad Historicos transeamus.

Nec omnes enumerare possum. Nec Syracusanum Antiochum de rebus Siculis scribentem commemorabo; nec ejusdem Civitatis Athana; nec Hermeam Metimnaeum, Calliam, et Antandrum (2); nec Philistum, quem Tullius, et Dionysius Halicar-

(1) *Cic.* De Orat. *lib.* 3. *Val. Mass. lib. VIII. cap.* 15. *Philostr.* Vit. Soph. *lib.* 1. *Plato* Hipp. maj. *V.* Palamedis Apologia, et de laudibus Helenae, quae Gorgiae tribuuntur.
(2) *Diod. Sic. lib. XII. Idem* Eclog. *lib. XXI.*

nasseus collaudant, et in praeliis describendis Thucydidi praeferunt, licet obscurior sit in reliqua historia conscribenda(1): sed tantummodo Timaeum Tauromimitanum proferam, utpote summa laude dignum; quia primus omnium Olympiades Historiae adjunxit, unde in temporum notatione exquisitam diligentiam adhibuit, quapropter merito Diodorus Agyrinensis laudat. Nec ipsemet Diodorus minime laudandus, qui in sua Bibliotheca Historica omnia, quae caeteri Scriptores in eorum libris retulerant, complectens, a rebus fabulosis exordiens omnium Gentium, Populorumque leges, inventa, gesta ad Caesarem usque conscripsit; per Siciliam, Asiam, Europam, Aegyptumque iter fecit; sacros, profanosque libros, sapientissimosque viros consuluit, ut veritati prospiceret; et licet quandoque erraverit, nexus, lucidus ordo, temporum ratio, monumenta, quae congessit, methodusque conscribendae Historiae valde quidem sunt laudanda (2). Ipsa Fabularum Historia, praeter Diodorum, Evemerum Messanensem Princi-

(1) *Cic.* De Cl. Orat. *Dionys. Halic.* Ep. ad Theopomp. de Praec. Historicis.
(2) *Fabr.* Bibl. Graec. *vol. II.*

pem Scriptorem habuit, quem Ennius interpretatus est, et auxit (1). Omnes Historiae naturalis partes Siculos habuere Scriptores. Dicaearchus de Mundo, coelestibus, terrestribus, et aeriis: Diodorus Syracusanus de Situ Orbis: Eumachus Musicae peritus de Urbium, Nationumque mensura, earumque originibus, Portus, Montes, Flumina, minime praetermittens: Rex Hiero de Natura sativarum, cultarumque Arborum, et de Animalibus terrestribus. Philistio et Empedocles de Medicinis ex arboribus silvestribus, herbarumque natura, et usu: Timaeus de gemmis: Archimedes de metallis; aliique Siculi de variis Historiae Mundi partibus scripsere; quos meminisse juvat, nam vel principes in scribendo fuere, vel aliis congesta, unde scriberent, reliquerunt (2).

Sed hic Siciliae Genius non substitit. Picturae et Sculpturae Praeceptores ei non defuere. Zeusis Heracleotes audentem jam aliquid penicillum ad magnam gloriam perduxit; Demophilum Himereum Praeceptorem habuisse ambigitur,

(1) *Lactant.* De falsa Religione *lib. 1. cap. 11.*
(2) *Vide Omnes C. Plinii secundi* De Historia Mundi *Libros fol. Bas.* 1535. *Frobenius.*

operamque suam Agrigentinis, Crotoniatis, aliisque Civitatibus Tullius navasse dicit (1). Pythagoram Statuarium Artificem Leontinum cum ipsomet Mirone contendisse ferunt; victoremque extitisse, primumque nervos, venas, mollesque capillos optime imitatum fuisse (2). Magnam egregiorum Signorum, picturumque Tabularum copiam Sicilia habuit, quam Tullius, Pausaniasque commemorant. Hic ornatus, haec opera, atque artificia Graecos Homines nimio opere delectabant, adeo ut, etiam Tullii tempore, qui haec scribit, praeter Signa, quae Romanam victoriam, non Verris avaritiam effugerant, nulla erat domus paulo locupletior, qua non essent patellae, thuribulaque praeclara cum sigillis, et simulacris Deorum; antiquo opere, et summo artificio elaboratis; unde existimabat magna Artificia fuisse in hac Insula, cum Sicilia opibus floreret (3). Ibi egregia peripetasmata, Officinam caelatorum, va-

(1) *Plin. lib.* xxxv. *cap.* 9. *Tull.* De Invent. *lib.* II. *Ambigitur quaenam Heraclea sit, sed potius Sicula videtur.*

(2) *Plin. lib.* xxxiv. *cap.* 8. *Paus. lib.* III. *Cap.* 17.

(3) *Tull.* In Verr. *Act.* V.

acularioruunque Syracusis, textrinam telarum stragulae vestis, purpurae conchylio tinctae Lilybaei, Segestae, Hennae, Syracusis fuisse commemorat; licet multa fortuna ademisset (1).

Quis vero Artificia perfecta fuisse inficiabitur cernens veterum Templorum vestigia, quae Tullius, Diodorus, Pausanias descripsere, quae non Hominum, sed Gigantum vi erecta videbantur; ipsumque Gigantum, Trojanumque bellum in Templo Jovis Olympici, Agrigenti, exculptum, magnitudine, elegantia, corporum situ eximium (2): Inspiciens numismata ubi egregio opere vultus aere spirantes, et veterum temporum historiam, Religionemque cernis (3)? Intuens Arces, Propugnacula, Urbes, Pheaacum Aquaeductus, Piscinas, Portica, Pyracum, Gymnasia, Pyramides, Theatra, Amphitheatra (4)? Cogitans Tyrannos

(1) *Tull. loc. cit. et in omnibus Actionibus in Verrem.*

(2) *Diod. lib. XIII.*

(3) *Spanh. Echel. Lancellottus, aliique Numismaticae Scriptores. Inspicienda quoque Numismata Sicula extantia, et veterum aedificiorum reliquiae.*

(4) *Diod. lib. XI. XIII. etc. Plut.* In Timol. *Cic.* In Verr.

ipsos, Hieronem, Dionysium, Phalaridem, Scientias, optimas Disciplinas, et ipsa Artificia coluisse, Aeschylum, Simonidem, Pindarum, Bionem, Stesichorum, quamplurimos Philosophos, nollem Platonem, omnes egregios Artifices a cunctis Regionibus arcessisse; Graecis, Punicis, Aegyptiis, Romanis, cunctisque Gentibus admirationi fuisse (1)?

Et quoniam de Romanis memini, referre juvat, Marcellum hoc Gymnasium a Charonda conditum, prolapsumque restituisse, novisque Disciplinis auxisse (2). Ex hac praeclarissima Urbe Horologium Solare Romam delatum a Marco Valerio Messala Consule, primo Punico Bello (3): Tonsores ipsos ex Sicilia ibi deductos a P. Ticinio Mena (4): Medicum Scribonium a Siculo Apulejo edoctum (5): Togatosque Romanos optimo-

(1) *Diod. lib. XIV. etc. Plut.* Vit. Dionis, Dionysii, Platonis. *Aelian.* Var. *lib. IV. Paus. lib. I. cap. 2. Pind.* In Nem. *Od. I. De Phalaride et Stesichoro; illiusque incertis epist. Vid. Fabr.* Bibl. Graec. *vol. I. Carol. Boile, et Riccardi Bentley* Dissert. etc.

(2) *Plutar.* In Marcell.

(3) *Varro apud Plin. lib. VII. cap.* 60.

(4) *Idem lib. cit.*

(5) *Scrib.* De Comp. Medicam.

rum Artificiorum voluptatem a Sicilia primum hausisse.

Neque Siculus Inventionis Genius cum Graecis, et Romanis extinctus. Si enim Eeodicus, Acron, Apulejus inter Medicinae Principes fuere, Siculus Branca postmodum excogitavit quonam modo mutilatos defectosque nasos reformaret; ejusque filius Antonius; praeter nares, quo pacto, et labia, et aures mutilatae resarcirentur, invenit (1). Johannes Philippus Ingrassia philosophus, ac medicus doctissimus, dum Anatomen in Neapolitano Gymnasio doceret, ossiculum auris *Staffa* dictum invenit, ac promulgavit; quapropter ei Statuam *Totius Medicinae Restauratori* inscriptam publice posuere, et non multo post pestem Panormi extinxit (2). Fortunatus Fidelis Medicinam Foro aptavit (3). Julius Zumbo Parisiensi Academiae humanum Caput cera efformatum, ubi venae, arteriae, nervi, glandes, Mu-

(1) *Lyron* Singularitez Litter. *vol. III*. *Barth. Fazio* De Viris Ill.
(2) *Phallopp*. Obs. Anat. *Op. vol. I*. *Mongit*. Bibl. Sic. *vol. I*.
(3) De Relat. Med. *Pan*. 1602. *Lips*. 1674. *Mongit*. Bibl. Sic. *vol. I*.

seculi, minimaeque partes propriis coloribus optime imitatae inspiciebantur, obtulit, quod omnibus admirationi, et utilitati fuit; et nescio quis alter Siculus, cujus nomen non rite recordor, Aures, Oculosque tunicis ligneis efformatos eidem Academiae exhibuit (1). Nec in solo Archimede Sicilia est celebris, sed nobis Maurolicum exhibet, qui omnem Philosophiam, Musicen, Astronomiam, Mathematicam, Historiam, Divinas, Humanasque Scientias amplexatus, Genio quodam actus multa invenit, et inventis addidit. Praeter quam quod Graecos, Siculosque Mathematicos omnes interpretatus est, Apollonii quintum librum *De maximis, et minimis*, quem Pappus Alexandrinus refert, quique perierat, sufficere est ausus: Sectiones Conicas ex Cono ipso deduxit, variasque curvilineas descripsit: Intersectiones linearum in lineis horariis observavit: varia visionis arcana scrutatus est: sacram temporum doctrinam ordinavit: publice docuit, Regibus, Pontificibusque carus, et praecipue Carolo V. qui construendis hisce Arcibus praefecit; quare omnes eum consulebant, plu-

(1) Hist. Accad. *Ann.* 1701. *et* 1707. *Tirab.* Litt. Ital.

resque visendi studio veniebant (1). Post hunc memorandus Johannes Odierna doctissimus in Astronomia, qui primus Ephemerides Satellitum Jovis descripsit, evulgavitque (2). Plurimum exinde laudandus Paulus Bocconi Panormi, qui totam Europam lustravit, descriptiones Plantarum Siciliae, Italiae, Melitae, Galliae (3); Museum eximiarum Plantarum earum Regionum; varios, rerum Physicarum, Fossilium Ignium, Metallorumque Siciliae libros edidit, edendosque reliquit, herbarum Scientiam Patavii docuit, Summis Hetruriae Ducibus merito carus (4). Ejus gloriae aemulator Franciscus Cupani, qui Sicularum Plantarum Catalogos evulgavit, totamque Naturalem Siculam Historiam evulgandam reliquit (5). Quae utinam ad nostram gloriam, utilitatemque prodirent! Utinam omnia, naturalis Historiae, Siculorum inventa in lucem proferrentur! Nostrae fa-

(1) *Niceron* Mem. des Hom. *vol. III. Chaufepiè* Dict. Hist. Bailly *etc. Varia ejus Op. edita, plurima inedita*.
(2) *Pan.* 1656. *Mongit.* Bibl. Sic. *vol. I.*
(3) *Oxsford* 1674.
(4) *Ven.* 1697.
(5) *Mongit.* Bibl. Sic. *vol. I.*

mae Exterae Gentes forsitan inviderent!

*Si* ingens Poetarum Siculorum gloria tota Graecia fuit, hic quoque cunabula Italae Poesis sunt, et hic rhythmus demulcendis auribus inventus (1). Extant Vincentii d'Alcamo Friderici Regis, Enzii ejus filii, Guidi Messanensis, ejusque fratris Odi; Rugeronis, Rainerii, Inghilfredis Panormitarum; Enrici, et Jacobi Leontini; Stephani, Mazei, Thomae Messanensium, aliorumque carmina, quae licet rudia, attamen originem Poesis Italae, renatique rhythmi, apud Siculos testantur (2). Haec Insula quoque Antoninam inter primos Poetas enumerat, sicuti priscis seculis sorore Empedoclis gloriabatur (3), et Poesis ipsa quondam Sicula ab ejus origine dicta, exinde ad Italos transiit.

Hic ubi in pretio quondam fuit Pictura, et Sculptura, novus pingendi modus colores oleo inducendo ab Antonello Messanensi inventus (4);

(1) *Idem*, *ibid.*
(2) *Petrarca* Praef. ad Ep. Fam. *Dante etc.*
(3) *Crescimb.* Comm. *vol. 1. Mongit.* Bibl. Sic. *vol. 1.*
(4) *Eques Maximus Stanzioni Neap. Oper. ined. a de Dominicis adductus* Vit. Pict. *Neap. vol. 1. Lanzi* Hist. Pict. *Signorelli* Sicil. *Mongit.* Bibl. *etc.*

licet caeterae Gentes hanc gloriam nobis praeripere conentur, et Johannem Anselmum nobis Drepanum offert, qui primus Ostreas caelavit, et postea Andreas, Albertusque Tipa Conchis, Ebore, Electro, Coralio caelandis claruere (1).

Novos quoque Historicos renascentibus litteris tulit, qui licet rudes pro ut tempora ferebant, attamen Historiae facem caeteris Nationibus praetulerunt. Jampsilla, et Malaspina, qui de rebus Friderici, Conradi, et Manfredi (2): Bartholomeus a Neocastro, qui aliqua iis adjunxit (3): Johannes Columna, qui Mare Historiarum, de Viris illustribus, Historiamque Romanorum Pontificum (4): Guido Judex Messanensis, qui Bellum Trojanum scripsit; hi, aliique omnes ea paraverunt, unde sumerent, qui vellent scribere Historiam. Quibus omissis (nam multi voluere, pauci potuere, bene, et recte Historiam scribere) tantum novitate, memorandus Johannes Antonius Viperanus

(1) *Millin* Glyptica 8. *Pan.* 1807. *Solli*.
(2) *Murat.* Script. Rer. Ital. *vol. VIII.*
(3) *Idem vol. XIII.*
(4) *Odin* De Script. Eccl. *vol. III. Gallice editum*. Mare Hist. *Par.* 1488. *Ined. in Bibl. Ven. Fabric.* Bibl. Med. et Infimae Latin. *vol. I.*

Mamertinus, qui librum de Historia scribenda, licet mole parvum, sed utilitate praeclarum, conscripsit. Nec omittendus sapientissimus Fridericus Svevus, qui ante Bargaeum, et Thuanum *De Arte venandi* cum avibus scripsit (1).

Sub Svevis enim, Aragonensibus, Carolo Quinto, aliisque Mecaenatibus Siciliae Genius longo post tempore venit. Poesis, Pictura, Grammatica, Geographia, Rethorica, Medicina, Astronomia, Mathematica, Naturalis, Civilis, Sacraque Historia, Juris legumque Civilium, Sacrarumque scientia, Graeca, Latina, Judaica, Arabica lingua florebant (2). Academiae, Gymnasia passim erigebantur (3) Ars Typographica Messanae, Panor-

(1) *Mongit.*

(2) *Bullengerus Gramm. Patavium edocebat* Hist. Script. Ven. *vol. I.*, *Cataldus Parisius ibi Artem Oratoriam docebat*: *De Brix.* Litt. *vol. I.* *Paulus Badessa Iliadem Quadr. vol. I.* *Moletti Ptolomaei Geographiam* Bibl. de' Volgariz. *vol. IV.*, *Bartholomeus Mamertinus Aristotelis Ethicam interpretatus est. Moyses Panormi de curationibus Equorum Hippocratis ex Arabica in Latinam linguam vertit. Tirab.* Lett. Ital. *vol. IV. Nicolaus Tedeschi, Princeps Sacrae Jurisprudentiae, Civis Catinensis, Senae docuit. Barth. Fatius* De Viris Ill. *Fabr. etc.*

(3) *Mong.* Bibl. Sic. *vol. I. II. etc. Quadr. vol. I.*

mi, et Forsitan Catanae inter primos excepta (1). Nostri exteras Gentes edocebant. Sapientes Advenae Borellus, Malpighius, Lascaris, aliique nostros erudiebant, Genioque Siculo Genium caeterarum Gentium addebant. Et ut inde revertar unde omnis haec Oratio deducta est: Si Siculi Agriculturam, Instrumenta Agraria, Mitia alimenta, Leges, Gymnasia, Magistratuum, Civiumque officia, Terrae, Siderumque motum, mutuamque gravitatem, Gymnasticam, Empiricorum doctrinam, Circuli, Cylindri, Conoidis, Sphaeroidis, Parabolae proprietates, Algebrae elementa, de aequiponderantibus, insidentibus, vectisque in Fluido, Cochleam Spiralem, Vitem, Corvos, Res Nauticas, coelestem Sphaeram, plurima Militaria instrumenta, Specula ustoria, Triremes, et Quinqueremes, Catapultas, exempla Militaris virtutis, Bucolica, Lyricam, Comaediam, Mimos, Saty-

(1) *Jo. Apulus refert, Henricum Roma Catinam venisse spe lucri illectus, et Messanam inde divertisse. Denis* Ann. Typogr. *Mich. Mait.* Suppl. *Typographiam Anno* 1471. *initium habuisse Messanae probat. Anno* 1477 *eam accepit Panormus per Andr. de Wormacia Mait.* Ann. Typ. *vol.* 1.

nes, Choreas, Oratoriam, Solare Horologium, nova Picturae, Statuariae, Caelatorumque inventa, Mundi, Nationum, Rerumque omnium naturalium Historiam, Graecos, Latinos, aliasque Gentes docuere: si renascentibus Artibus, Scientiis, optimisque Disciplinis nova veteribus inventis Sicilia addidit, merito Inventionis Genius Siciliae tribuitur; ubi ea, quae Natura ad promovendas optimas Artes, et Disciplinas paravit, temporum felicitas protulit.

Sed cur, cum tantis nos adjumentis Natura opituletur; cum tot exempla nostrorum habeamus; cum extent in hoc Gymnasio, et tota Sicilia Sapientissimi Viri in Astronomia, Mathematica, Philosophia, Physica, Legum Divinarum, et Humanarum Scientia, Humanitatis Studiis, Medicina, Anatome, Pictura, Sculptura, Historia caeterisque bonis Disciplinis celebres, cum tot proxima aetas tulisset, cur Sicula Scientiarum gloria deficit? Numquid temporum injuria, Mecaenatum, honorum, praemiorumque defectu, Virtutis, Scientiarumque contemptu, Siculus Genius languet? Haec aliis relinquo. Illud tantum adjungo me, ideo, Veterum Siculorum exempla protulisse, ut eorum

gloriam aequare, et superare contendant qui praesunt, qui docent, qui ediscunt; adventante praesertim novo Pontifice Catinensi Gabriele Gravina selectissimo viro, hujusque Gymnasii Maximo Cancellario, quem honoris causa nomino; qui veterum nostrorum piorum Pontificum, Majorumque suorum gloriam, Sapientiam, virtutemque in hoc Lyceo, totaque Provincia, promovendo, aequabit: Dixi.

## *IN ALEXIS ORATIONEM*

### *ELEGIA*

*Palladis hic arx, hic templum, pius iste sacerdos*
*Nobile Trinacriae pangit Alexis opus.*
*Ista, pererratis Boreae regionibus, arva,*
*Advena, quisquis adis, sistere quaeso pedem.*
*Altera Cecropiae visa hic miracula gentis,*
*Torret ubi trepidos Aetna Typhois agros.*
*Hic Academus iter praebebat, agona Lyceum,*
*Porticus hic umbras, carmina plura Chorus.*
*Perspice reliquias Dorum, pompasque latinas.*
*Trinacris innumeras una ferebat opes.*
*Heu siculus fuit hic* GENIUS, *nunc nomen et umbra.*
*Horrida laurigeras occulit herba domos.*
*Testantur virtutem quae monumenta vetustam,*
*Tristia nunc tacitis obruta litoribus.*
*Omnia fert aetas, artes, animosque viriles.*
*Qui fuimus, gaude; qui sumus, illacryma.*
*Omnia fert aetas, aufert quoque busta virorum:*
*At tuus, o Joseph, usque manebit honos.*
*Sunt Curii mores, mens Socratis, ora Platonis,*
*Spiritus Annaei, Caesaris eloquium.*

JOACHIM FERNANDEZ *plaudebat.*

| | | ERRORI | CORREZIONI |
|---|---|---|---|
| Pag. 8 | lin. 23 | Nom *leg.* | Non |
| Pag. 13 | lin. 6 | Egiptios | Aegiptios |
| Pag. 14 | *not.* (2) | Econom. | Oeconom. |
| Pag. 15 | lin. 18 | Laconis | Laconiis |
| Pag. 32 | lin. 19 | penni- | peni- |

Piena di santo amor patrio, ricca di squisita erudizione, e scritta con sufficiente latina eleganza (è) questa Orazione diretta a celebrare il talento dei Siciliani per l'invenzione de'

Giorn. Letter. Bibl. Ital. n. XXIV. Milano 14. Dic. 1817.
Appendice. Regno delle due Sicil. n. 307.